

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Wersja sandomierska

Rękopis Biblioteki Narodowej w Warszawie, sygn. BN 12600 III, k. 76rb–77ra

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 53

[53] De viro, qui vulneratus fuerit in facto manifesto.

Si vulneratus vir ad iudicium cum clamore decuctus fuerit in facto manifesto, et si ita debilis fuerit, quod per tutorem ipsum querulare oportet, et prolocutorem [*k. 76va*] per sentenciam petat, extunc tali modo sua procedat querimonia: “Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro advocate, extunc in sententia requiro, si per iusticiam insidias per aliquem pati debeam, quam iure terrestri debeam aut sustinere, cum verbum suum aut causam propter iuris exigenciam teneo”. Extunc sibi diffinitur, quod non. Extunc \vdash petit sibi^a \dashv petat sibi correccionem. Cum obtainuerit, tunc petat colloquium pro consilio, et cum habuerit colloquium, pro consilio, tunc requiret, qualiter suam querelam incipere debeat, et hoc per sentenciam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Extunc diffinitur sibi cum clamore. Tunc interrogetur sentencialiter, si requiri debeat ab ore ad os, a quo suam habeat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et cum ipsis preco, ut duo viri, [*k. 76vb*] qui iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audient, a quo sua recepit vel habuerit dampna, vel quis in eo pacis federa confregerit. Extunc requiritur sentencialiter, si interrogari debeat circa iuramentum prestitum ac ius civitatis, quod ab eo audierint. Tunc unus interrogetur ad dicendum, quid ab eo audierint. Audita responsiva, tunc in sentencia requiratur {sentencia}, quod fecerit, cum sibi diffinitur, quod sic, et eciam secundus et tertius interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod sic profecerit. Extunc querelam incipiet: “Domine iudex, placeat attende audire”. Tunc hic conqueritur \vdash sibia^a \dashv super vvirum, si et super N., quod ipsi venerunt intra municipale, et in eo pacem infregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et ipsum spoliaverunt corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc [*k. 77ra*] illi ter vocantur, quando vocati per clamorem ter fuerint, tunc conqueratur ulterius et nominet malefactores, ut prius querulatum fuerit. Idem faciet tercia vice. Extunc inducie indicantur per noctem. Si tunc non comparent, describentur. Si autem comparent, duellum in eis acquiri potest.

^a skreślone przez autora podstawy

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]

IURA źródła prawa
dawnego